



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae**

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 3. Qualitas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13167**

Albaniæ inferiori, & paruæ Græciæ, quæ Despotatus vocatur, præfuere Tochij Epirotæ, ex genere ut aiunt Totilæ, cuius vltimus Despota Leonardus per Amurathem secundum spoliatus in Italiâ consenuit.

Nunc verò per plures Saniacos administratur Albania, ut videbimus in Turcogræciæ Geographiâ. Aiunt tamen plerosque seruitutis Turcicæ exfortes esse, & eos armare posse 30. equitum millia ad bellum Turcis inferendum, modò ut arma, pecuniæ, & periti Duces ad eos appellant. Certè ad bellum Turcis inferendum necessarij videntur; contra quos quām peritè pugnare queant demonstrauit Scanderbegus; cui si Europæ coniunxissent vires suas, astum erat de Ottomanico Imperio. Hic moriens ditionem suam Venetis legarat, sed hanc tueri non potuerunt, utpote à mari nimium remotam.

### §. 6. De Negroponte, seu Eubæa.

#### NVM. 1. Nomen.

NOMEN accepit ab Euripo, quod leuiter detortum est in *Negrepont*, ut omnes arbitrantur Geographi.

#### NVM. 2. Quantitas Negropontis.

Longitudo eius procurrit à Promontorio Lytar ad Prom. d'Oro, & 2. gradus maioris circuli cum 10. minutis continet hoc est 130. millia passuum, leucas nostrates 65. Germanicas 32 $\frac{1}{4}$ .

Latitudo ab urbe Negroponte ad Pro. Castaro dimidij gradus, hoc est 30. mill. pass. 15. leucarum Franc. 7 cum dimidiâ Germanicarum.

#### NVM. 3. Qualitas Negropontis.

INSULA haec feracissima frumenti maximè, quo potissimum vtuntur Veneti, ad muniendas Insulas suas maris Ægæi: hinc quoque plurimum mellis, lanæ, serici, lini, ceræ exportatur.

#### NVM. 4. Politia Negropontis.

VENETIS paruit, quibus assignata fuerat à Rabano Carcerio eius Duce, ne à Turcis occuparetur; à quibus tamen anno 1470. subacta est, per Mahumetum secundum, qui in eam atrocissimè